



Nga. 10.

19 M

בַּעֲדָה  
ANALYSIS  
Vocis  
שׁוֹפְטִים

Secundum  
Consonarum Punctorum-  
que Naturam.

Praemissō  
Omnis Punctorum Mutationis  
Fundamento

Ad  
Illustrandum Tractatum

VIRI

Maxime Venerandi

DN. Alhardi de Raadt,  
SS. Th. & Philol. Doctoris,

Cui Titulus

סוגית הנקר

Demonstrata

à

Friederich Siegfried Ring / Francf.  
March. SS. Th. & Phil. Cult.

BEROLINI, E Typegraphia Regia, 1715.

Viro  
Mas: Venerando  
Pro: Armesio  
S. S. Th. Doc: et Pro:  
feg: Ord:

# ANALYSIS

Vocis

DESCRIPTA

Conclusum Pugatorium

die Mastitis

Omnia Langorium Miseriorum

Triduum

affectionatum Tagatum

ATA

Warrans Fecundans

Du Viret de Ruyt

22. Tp. 8. p. 10. Dorsum

Cu. Tumus

22. 11. 11. 11.

Dorsum

22. Tp. 8. p. 11. Cervi

22. Tp. 8. p. 12. Cervi

RECOLINI. 8. Tabidiphius 8. 8. 8. 8.

REVERENDISSIMO A  
atque SUPREMO MARESCHALLO  
EXCELENTISSIMO DOMINO.  
TERRA NOMINIS ENI  
*MARQUARDO*  
*LUDOVICO*  
*à PRINZEN.*  
REGIÆ MAJESTATIS  
MINISTRO STATUS INTIMO  
Et  
SUPREMO MARESCHALLO,  
ORDINIS BORUSSICI EQUITI.  
RERUM ECCLESIASTICA-  
RUM FEUDALIUM  
*DIRECTORI.*  
SUMMI SYNEDRII  
*PRAESIDI.*

ACADEM. REGIARUM  
SUPREMO EPHORO.  
COMITATUS RUPINEMESIS  
ET  
TERRITORII BELLINENSIS  
CAPITANEO.  
CATHEDR. ECCLESIAE  
MAGDEB.  
CANONICO.

DYNASTAE IN CARO &c.  
DOMINO ET PATRONO  
SUO  
SUBMISSO COLENDO

D. D. D.

Auctor.

DIRECTORI  
SUMMI STUDIORI  
PRAESES

*Vir  
Excellentissime.*

Quumprimum Sacris  
Theologiae me di-  
cavi, in id maxime ex Do-  
ctiss. Theologorum Consi-  
lio incubui, ut prius, quam  
ad ipsam Theologiam me  
applicarem, illarum Scien-  
tiarum & Linguarum Co-  
gnitionem mihi compara-  
rem, ex quibus, reipe&tū  
Nostrūm, *Sacrae Scriptu-*  
*rae Lux accedit, quibus*  
*que Magnalia DEI per-*  
*VERBUM Ipsius manife-*

( 3            sta-

stata altius introspicere ac-  
curatiusque scrutari vale-  
mus. Inter quas ad finem  
huncce consequendum  
maximam utique *Linguae*  
*Sanctae Cognitio* praebet  
utilitatem: Cujus cum ali-  
quos in me sentirem pro-  
fectus, haec mihi non tan-  
tum scire, sed & cum aliis  
communicare unicus la-  
bor erat. Quare de Me-  
thodo follicite deliberavi,  
qua potissimum *Linguae*  
hujus Elementa Auditori-  
bus meis traderem. Perpla-  
cuit vero inter alias Viri Cl.  
*ALHARDI de RAADT*  
ingeniosissimus *Commen-*  
*men-*

mentarius de Punctuationis  
Natura, secundum quem  
*Analysin* hancce institui;  
Cumque Librum illum  
paucorum in manibus ver-  
lari animadverterem, ideo  
hanc *Analysin*, ad illius  
praeſcriptum institutam,  
publici juris feci, ut qui-  
busdam faltem falivam  
moverem, quo, licet Cl.  
Auctoris Hypotheses non  
recepent, ejus tamen  
Commentarium Lectione  
dignentur: Quem Cona-  
tum meum *TUO, VIR*  
*PERILLISTRIS, EX-*  
*CELLENTISSIMO NO-*  
*MINI* inscribere aufus  
sum

293

sum ; Hasce enim Primiti-  
as *TIBI* ob singularem in  
Literatos Affectum *TU-*  
*UM* & inaestimabilem Be-  
nignitatem , Virtutem *TI-*  
*BL* innatam , me debere exi-  
stimavi . Perquam vero  
reverenter *TE* rogo , ut  
istud submissimae meae  
erga *TE* pietatis studium  
benevolentissime inter-  
preteris , & serena fronte  
hasce qualemcunque pa-  
gellas accipias , *TUOQUE*  
Favore digneris : Cujus  
Benevolentiae memoriam  
grato , quoad vivam , con-  
servabo animo , debitisque  
laudibus cum alias Virtu-  
tes

tes *TUAS* maximas, tum  
in primis *Benignitatem TU-*  
*AM* venerabundus pree-  
dicabo. Quod reliquum  
est, indefessis *DEUM T.*  
*O. M.* precibus oro atque  
obtestor, ut *TE, VIR EX-*  
*CELLENTISSIME*, sal-  
vum ac solpitem conser-  
vet, omnique felicitate cu-  
mulatum virere ac florere  
jubeat, quo *Musae nostrae*  
*Curae TUAE* atque Tu-  
telae, à *CLEMENTISSI-*  
*MO REGE* commissae,  
longa adhuc annorum fe-  
rie sibi de Praesidio *TUO*  
gratulentur, *TUAQUE*  
sub Umbra & Tegmine

XII far-

sartae tectaeque floreant,  
Quod ex animo vovet,  
**VIR EXCELLEN-**  
**TISSIME,**  
**PERILLUSTRI**  
**NOMINI TUO**

Omni pietate atque  
observantia

Addictissimus

Friederich Siegfried Ring.

XX



## Præfatio.

**Q**uemadmodum Cujuslibet  
studio Theologico operam  
navantis Objectum &  
Fundamentum est manifestata DI-  
VINI NUMIMIS Voluntas, quâ  
DEI & Hominis Viae, quomodo ira-  
tum Numen cum peccatore Salva  
sua justitia rursus conjungi possit,  
monstrantur ; Sic & ejusdem pri-  
marium est Officium, Media & In-  
strumenta, ad hancce Voluntatem  
accurate percipiendam, indagare:  
Horum omnium primum & sic prin-  
cipale illarum Linguarum studium  
est, quibus Divini Interpretes usi  
junt

)()2 junt


sunt, quibusque haecce Mysteria  
DEI nobiscum communicarunt;  
Quarum Lingua Hebraea & Grae-  
ca à plurimis, haec Novi, illa Ve-  
teris Instrumenti Authenthica agno-  
scitur: Verum ut Vetus prius No-  
vo est Instrumento, cuius Fundamen-  
tum est; sic & hujus Idiomatis Co-  
gnitio, quo illud Nobis revelatum,  
prius altero à Nobis exigitur, quod  
est Lingua Hebraea: Nullius autem  
Linguae, neglectis primis ejus Ele-  
mentis, Proprietas & Genius ad-  
disci potest. Quare Doctiss. Viri,  
quorum Manes posteri adbuc piâ  
mente venerantur, in eo maximè  
desudarunt, ut in Rationes inquire-  
rent, & tam admirandam & intri-  
catam Vocalium Mutationem, qua-  
lis in Linguis Occidentalibus hanc  
observatur, demonstrarent, quo Ti-  
rones, qui plerumque hocce studium  
diff-

@@( )@

difficultatis & obscuritatis accu-  
sant, praejudiciis suis liberarent:  
quem Eorum Conatum tot editae  
testantur Grammaticae, \* quarum  
alia aliam distinctione quidem an-  
tecellit, licet cuique pro Scopo suo  
remaneat Laus & aestimatio. In-  
ter hos in primis eminere videntur  
Clariss. JOH. BUXTORFFIUS P.  
in Thesauro suo Grammatico, &  
serioris aetatis Celeberr. JAC. AL-  
TINGIUS in Fundam. Lingui. He-  
br. quorum Prior labore suo dignum  
existimavit, in docentium & discen-  
tium gratiam viam sternere, qua  
ad Elementorum Cognitionem facili-  
negotio perveniri posset; in quo ta-  
men à plurimis accuratior deside-  
rabatur Ordo: quorum desiderio  
Posterior satisfecit, plurima ad-  
dens, omnia certis §§. distinguens  
sicque

\* V. Loescher. de Causis L. Hebr. p. m. 151.

sicque dissentium memoriae succurrens. Verum nec Hic eo finem sibi propositum consecutus est, quoniam plurimi, Proh dolor! nescio utrum docentium an dissentium Vitio, paragraphorum tantum servi evadunt, in salutatis in ipsis contentis: Cui Malo praeterito Seculo occurrit Cl. ALHARDUS de RAADT in Comment. de Punctionis Natura, in quo difficillimam hancce Materiam ad paucas revocavit Regulas, Regularumque Causas ex praemissis Definitionibus apprime eruditis & ex ipso Linguae Hebraeae genio depromptis adstruxit, eoque Lectorem semper detinet attentum, nec ullius Servitii periculum imminet, vel enim Auctorem intelligit Lector, tum scopum suum adeptius est, vel Eum non intelligit, tum tamen idem, qui ante fuit, manet, & quo  
sa-



*sanae Rationis exercitium majus,  
eo Libertas magis magisque sarta  
tecta conservatur. Sed nec ingenio-  
issimo hocce Labore Cl. Auctor  
quorundam evitare potuit Calumni-  
am, qui nimis praecipitanter lau-  
datisimo huic Operi obscuritatis  
maculam inurunt, haud attendentes,  
qua Ratione hoc de Libro illo affir-  
mari possit, cum plerique Eum il-  
lotis quasi manibus, scilicet Mathe-  
maticis Demonstrationibus haud af-  
sueti, perlegant, quibus iterandae  
Lectionis Auctor sum. Coeterum  
Exemplo aliquo Eundem illustrare  
in praesentia animum induxi; Ne  
autem ipso Auctore iis obscurior vi-  
dear, elegi Objectum vocem  
נָבָע שׁוֹר nulla Anomalia labore-  
tem.*

Moni-

# Monitum

ad

B. L.

Quamvis omnem operam im-  
pendimus, ut omnia accurate B. L.  
exhiberentur; *τὸ Munach* tamen ubi-  
que scil. pag. 16. 20. 21. 23. 24. 25. 32. 33.  
34. justo in loco, np. accurate juxta  
Vocalem, haud offenditur: quod vero  
non Correctori, sed Typorum quali-  
tati tribuendum.

pag [ii.] Lin. [ult.] Lege [distinctius.]  
[25.] { 3. } { 1. } { 2. }

ANA.



# ANALYSIS Vocis

שׁוֹפְטִים

§. 1.

**A**ntequam Rem ipsam aggrediamur, *Vocalium, Consonarum, Accentuum & Syllabae Naturam* generaliter considerare necessum est duximus; quorum Consideratio haud melius institui potest, quam positam cuiuslibet Definitionem examinando, & circa eam Observationes notando: quibus praelibatis felicius *Analysis* ipsam instituimus.

§. 2.

*Vocalis Hebraeis* est *Sonus per punctum notatus*; in qua Definitione duo praedicantur: *Primo* dicitur *Sonus*, quo potestas denotatur, eoque respe-

A ctu

Et tu Masorethae Vocales appellant  
 motiones à rad. yu moveri Job.  
 IV. 14. 15. XXIX. 4. sicque non dif-  
 fert à Linguis Occidentalibus, quod  
 patet ex eorum Denominatione; *Latini*  
 enim easdem vocant Vocales; *Germ.*  
*Laut - Buchstaben*; *Belgae Klinckers*,  
*Dein* quod per *Punctum* exprimatur,  
 quo ad Scriptionem respicitur, eaque  
 Relatione Vocales dicuntur *puncta* pun-  
 cta à rad. *punctis* respersum esse  
 Gen. XXX. 32. 35. 39. in quo autem  
 differt ab aliis Linguis, Vocales suas  
 certis figuris denotantibus. Praeterea  
 velim obseretur, Hebraeos *Tria* Vo-  
 calium agnoscere *Genera*:

1. *Simplices*, quae unico puncto gau-  
 dent. e. g. Chireck aliis breve di-  
 ctum e.g. בְּ, reliquaeq; Vocales bre-  
 ves.
2. *Duplices*, quas duobus punctis  
 denotant; e.g. Tzere בְּ & Kametz בָּ.
3. *Compositas*, puncto & Litera qui-  
 sciente consistentes; e.g. Chireck aliis  
 longum dictum שִׁיר, vel Cholem וּ,  
 vel Schureck בּוּ.

§. 3. Lit.

Literae sunt *Signa ad consonandum apta*. Dicimus eas *signa*, quod patet ex Hebr. denominatione, qui eas appellant *τονις* vel *τονισμός* à sing. *τονίς* signum, quod aliquid in mentem vel memoriam venire facit, & Grammaticis *Litera*, quia est Signum & Character vocis qualitatis legenda & proferendae à rad. *τονίς* venit, accesit. Haurum Natura, quemadmodum Vocalium est *Sonus* vel *sonare*, est (ut ita dicam) *Consonus* vel *consonare*; undē & à Graecis *συνφωνία*, à Latin. *Consonae* & à Belgis Meedeklinckers vocantur. Habent igitur se tanquam Corpora mortua, omnis per se Motus ne scia, undē & Rabb. Literam dicunt *τονία*, Vocalem *τονίη*; Hinc in iis nulla ob servatur *Mutatio*, nisi quod, quae ejusdem organi (cujus defectu aut planè non, aut saltem difficile pronuntiari possunt) inter se Euphoniae Causa permutentur. Praeterea observand: Literas dividi in *Quiescentes* & *Mobiles*; priores coälescent in Conjunctio-

A 2 ne

( 4 )

ne cum Vocali, & sunt , , , ; posteriores Vocalem tantum beant nova Qualitate.

§. 4.

*Accentus* sunt certa *Signa* supra vel infra vel ad latus Syllabae occurrentia: pro quorum usu vario, variat eorundem *Definitio*. Primo enim suum agnoscunt Objectum Syllabas, & eatenus sunt Objecta omnium *Grammaticorum*, dicunturque *Grammatici*. Dein faciunt ad distinctionem & Conjunctionem Vocab & Sententiarum dirigendam, Orationem interpungendam, ipsamque Actionis Emphasim indicandam, *Syntacticique* vocantur, & sic sunt Objecta Eorum, qui ex professore Accentuum studio egerunt: inter quos prae aliis eminent Clariss. M. Casp. LEDEBUHRIUS in Tract. *Catena Sacra, WASMUTHUS, Reineccius*; & nostris temporibus Celeberr: FRANCKEN in *Diacritica Sacra*; His autem palmarum praeripiisse videtur Rev. Philip. OUSEEL, Ecclesiae Germ,

\* V. Loesch. d. Caufis L. H. pag. 332.

Germ. quae Lugduni colligitur, Pastor  
fideliss. Praeceptor olim meus deside-  
ratissimus, cui praealiis in studio Phi-  
lolog. & Theolog. plurimum debeo,  
qui praeterito anno Tr; edidit, cui  
Titulus מה אמה של שער התעמיה, in quo  
studii Accentalis alteram partem , sc.

*Metricam* summa dexteritate & distin-  
ctione tractat, variisque hocce studi-  
um liberat Exceptionibus , adeò , ut  
facili negotio hujus Tractatus Manu-  
ductione Tirones intra duorum Men-  
sium spatiū , imò & privato studio  
institui possint ; Idemque & alteram  
partem promittit, quam jam sub pre-  
lo sudare , brevique lucem visuram  
audivi. Denique Accentus secundum  
quorundam praesumptionem *Metro* in-  
serviunt, de quorum usu cum Doctis  
Viris ingenuè nostram profitemur  
ignoraniā, hujusque indagationem  
Sagacioribus pro tempore relinquim-  
us, & potius pro instituto, respectu  
primi usus, Accentuum Definitionem  
addimus: Suntque Accentus Notae Syl-  
labam infra vel supra eam , si occur-

A 3            rant,

Notes

rant, *elevantes*, dicunturque ab Hebr.  
כְּבָשׂוֹן וְכְבָשׂוֹן ḡistu vel sapore: ex quâ  
Denominatione apparet, quantum illi  
errent, qui Accentibus Vocalem pro-  
longandi vim tribuunt, quippe cibum  
sapor non quantitate auget, sed quali-  
tate eum vescenti commendat; accedit,  
si prolongarent Vocalem, deberent  
sonare vel consonare, quorum prius  
est Vocalium §. 2. posterius Literarum  
§. 3. sed Accentus efficiunt, ut percipi-  
amus Vocalem, gratiamque ejus pro-  
nunciationem sentiamus.

§. §.

*Syllaba* est *Coniunctio Literae*, vel  
*Literarum cum Vocali*, *simultaneo sono*  
*pronuncianda*. Quod sit *Coniunctio*, aliae  
etiam agnoscent Linguae: Nam unde  
alias Graeci hanc vocant συλλαβήν,  
nisi à συλλαμβάνειν: hinc Latin. *Syllaba*,  
Germ. *Sylbe*. Patet praeterea & in  
primis ex Hebraeorum Consuetudine,  
qui ex *sola vocali* nullibi constituant  
*Syllabam*, nec *vocem* cum Graecis à  
*Vocali* incipiunt, nec *ullam Syllabam*,  
nisi addito qualitatis signo i.e. *Litera*, vel  
Nota

Nota Spiritus Lenis e. g. *אָבָה*, *אַבָּה*.  
 Dicimus Conjunctionem *Literae* vel  
*Literarum*, sunt enim *alia* Segmenta  
*uno* qualitatis signo gaudentia, vel in  
*Initio* e. g. *אָ*, vel in *Fine Syllabae*, e. g.  
*תְּהִתָּה*; *alia pluribus*, ast haud ultra *bina*,  
 e. g. *בְּרָא*, *קְרָא*. Est Conjunction *Li-*  
*terae* vel *Literarum cum Vocali*, & qui-  
 dem necessario; *Literae enim cum*  
*sint Natura sua omnis motus & soni*  
*nesciae §. 3. lin. 16.* Sed tamen pronunti-  
 andae, conjungi debent cum eo, cu-  
 jus Natura hujus effectus capax,  
 quod est *Vocalis*, cuius Natura est *Mo-*  
*tus* vel *sonus* §. 2. lin. 3, ex eadem Ratio-  
 ne *Simultaneo sono* pronuntianda, ali-  
 as ablato motore Corpus remaneret  
 mortuum. Observant porro circa Syl-  
 labam plerique Hebr. Grammatico-  
 rum Filii, *duo ad minimum tempora ad*  
*perfectam constituendam Syllabam re-*  
*quiri*; quo observato, omnis Puncto-  
 rum Mutationis Fundamentum jecisse  
 videntur; Simulac enim quaecunque  
 Syllaba, duobus gaudens temporibus,  
 alterutro à quacunque Causa privetur,  
 ibi

ibi puncti Mutationem observamus :  
quod Exemplis probaremus, nisi prius  
*Leđ.* Temporis Naturam, ejusque va-  
rietalim docere satius duceremus; Et  
quidem recensendo, *primo*, à quibus  
Syllaba *Incrementum* capiat ; *Dein*,  
quando patiatur *Decrementum*.

## §. 6.

*Incrementum* capit Syllaba, si Vo-  
calis tempore aliquo augeatur ; *Tempus* vero est certa *Mora*, in qua Voca-  
lis pronuntiatur : Tale *Tempus*,

I. *Quaelibet Vocalis* ad minimum *unum*  
habet ; simulac enim Vocalem defi-  
nio per *Sonum* pronuntiandi §. 2. eo  
ipso eidem tribuo *Tempus*, in quo pro-  
nuntietur, nisi ipsius Naturam destru-  
ere sit animus: adeoq; cum tale *Tempus*  
cuilibet Vocali sit *Naturale*, illud  
appellamus *Essentiale*; quod *Tempus*  
vel quam moram *Punctum* Auctores  
denotant per *unum punctum*, easq; Vo-  
cales vocamus *Simplices* §. 2. N. i. e.g.  
(.) Chireck aliis brevedictum; Pathach  
(-) reliquaeq; Vocales breves dictae.  
Verum sunt & Vocales *duobus Temporibus*

ribus Essentialibus consistentes, duobusque punctis denotatae, quae nihil aliud, quam due vocales juxta se positae; quemadmodum a Germanis & Belgis ad Vocalis longiorem denotandam pronuntiationem duo *a* & *e* conjunguntur in una Syllaba e.g. *Haar/ Heerde/ maer, breeken*: suntque *Tzere( )* & *Kametz( )* quorum alterum denotat duo *Saegol( ... )* alterum *Cholem & Pathach*, quas Vocales inde duplices dicimus §. 2. N. 2. Hujus posterioris Compositio manifesta fit ex Chaldaeorum pronuntiatione: Circa eandem Vocalem sc. Kametz observandum, ejus Figuram in plerisque ferè Codicibus minus accurate typis imprimi, exhibent enim ejus Figuram per Lincolam rectam, subscriptâ lineolâ perpendiculari rectae lineolae annexâ (.) quam figuram in Antiquioribus Codicibus accuratiorem offendimus, qui eam quidem denotant per lineolam rectam, sed subscripto punto lineolae rectae non annexo (.) qualem figuram

B mihi

\* V. Alh. de Raadt n<sup>o</sup> p. m. 20. 21.

† V. ibid. p. 17. 18. 19,

mihi nuper videre contigit in *Pentateuchō aliquo M. S.* insigni, prisaque simplicitate venerabili; & in Plantiniana Editione Grammaticae *Johannis Isaaci* in quarto, anno 1564. pag. 3. & in Bibliis *STEPHANI* Hebraicis in quarto &c. ex cuius figurae Correctione ejus Compositio-  
nitis qualitas manifestior appetet.

II. Quicquid vocalem morā aliquā au-  
get; quod *Tempus* pro variā Causā  
efficiente variat, proque vario Vo-  
calem afficiendi modo diversam sibi  
vindicat Denominationem.

I. Omnes *Literae* vel *Consonantes*  
*Quiescentes* יְהִי lin. penult. no-  
voVocalem beant Tempore simulac  
ipsam insequuntur, & cum illa con-  
jungendae: Certa enim mora re-  
quiritur antequam Vocalis collique-  
scat cum Litera Quiescente; quod  
nec *Germanis* inusitatum, qui in  
Voce *wehrt* illud *e* longius pronun-  
tiant, quam si scriberetur sine *e*. &  
dicimus hoc *Tempus* à Causa effici-  
ente

ente, *Literale*, nam à *Litera Vocalis*  
 augetur, e.g. נ, quae Syllaba duo  
*Tempora* habet *Essentialia* sec. N.  
 i. huj. §. & *Tempus Literale*, acce-  
 dens per *Literam quiescentem* נ.  
 Ex his patet, quomodo *Litera Qui-*  
*escens* differat à *Mobili*, nimirum,  
 quod illa *Vocalem afficiat nova*  
*Quantitate*, sed non *Qualitate*, §. 3.  
 in fin.

2. Omnes *Literae Mobiles* cum *Vocali*  
 à parte post connectendae novo *Tem-*  
*pore Vocalis* augent; Quarum  
*Qualitas melius & clarius patescet*  
 ex addito simili: *Quemadmodum*  
*perorans in loco aliquo muris vel co-*  
*lumnis circumdato clarus & Dislin-*  
*ctius percipitur ab eo, qui muro af-*  
*fidet, quam qui in medio est collo-*  
*catus;* Hujus enim *auditus organa*  
*simplicibus rectis soni radiis com-*  
*moventur, dum illius non rectis*  
*tantum, sed & per repercussionem*  
*à muro binis quasi vicibus eodem*  
*fere momento afficiuntur:* Sic & *cla-*  
*rius & distinctius Vocalis in pro-*

B 2 nun  
 OH

nuntiatione exauditur ante Literam Mobilem secum conjunctam; Ea enim per Repercussionem altera quasi vice percipitur, e. g. in Syllaba  $\ddot{\text{a}}$  minus clare animadvertisit Vocalis, quam in  $\text{e}$ , ubi distinctius. Ad quem vero resultum certa exigitur mora, quam Tempus vocamus, & quidem à Qualitate, Repercussionis, vel ab Effecto, Claritatis; adeo, ut in Syllaba  $\text{e}$  duo habeamus Tempora, tum Essentiale N. i. huj. §. tum Repercussionis sive Claritatis.

3. Augetur itidem Syllaba novo tempore ab Accentuum appositione, quorum est Syllabam elevare § 4. Quare si Syllabam augeat, multo magis, immo Vocalis sola in ea occurrens incrementum capiet, ut principialis Syllabae pars; observamus enim in pronuntiatione alicujus Syllabae, in qua Accentum Tonicum offendimus, Vocalem altius pronuntiari, ergo mora aliqua beari, quam moram dicimus Tempus, & quidem à Causa Efficiente Accentuale, ab afficiendi modo Altitudinis.

Ho-

Horum Temporum Recensio scopo nostro sufficiat, reliquorum Com-  
memorationem ulteriori labori nostro  
relinquamus.

§. 7. nibus x o nol

*Decrementum* patitur Syllaba, si-  
fi Vocalis ipsa aliqua de Causa tollatur,  
si Vocalis aliquo privet ut tempore.  
*Prius* fit, quando Consonans Syl-  
labam aliquam incipiens rapitur ad  
praecedentem Syllabam; Hebraei e-  
nim nullam à Vocali incipiunt Sylla-  
bam §. 5. lin 9. ne Vocalem in vagum  
relinquent: e. g. נְקָדָה in Niphah נְקָדָה, il-  
lud Kametz ( ) tollitur in primā radī-  
cis Syllaba, quia ב rapitur ad praece-  
dens præfixum ב, ut arctius cum eo  
coälescat, & relinquit Kametz ( ) qua-  
re id tollitur, & ב accipit Notulam ab-  
sentiae Vocalis §. 9. ut autem haec duo  
corpora mortua, scilicet ב & ב movean-  
tur & pronuntiari possint, prima litera  
sc. ב accipit vocalem Chireck [ . ] aliis  
breve dictum, hinc ex נְקָדָה fit נְקָדָה.

*Posterior* facit,

I. Quaelibet *Litera Mobilis* accedens  
B 3 &

& conjugenda cum vocali à parte post, qua sua Conjunctione ulteriori Vocalis pronunciationi obicem ponit, impeditque, quo minus tam longe exaudiatur: quam *mora* *Priuationem* Hebraei denotant mutando Vocalem duplicem in simplicem §. 2. n. 1. quae Ratio est, ob quam Vocalis duplex §. 2. n. 2. accedente Consonante nunquam servetur; ( nisi alia Circumstantia Mutationem ejus prohibeat, nempe *Accentus* in eâdem Syllaba occurrens ) sed transeat in simplicem §. 2. n. 1 e.g. in voce נָשָׁי in statu Constr. & cum inseguente voce per lineolam Maccaph coniuncta, non mutatur in נ & nihil fit, nisi quod *Litera Quiescens*, quae Vocali Libertatem concedit, mutetur in נ Literam *Mobilem*, quae ulteriori Vocalis pronunciationi obicem ponit; ad hoc decrementum denotandum Hebraei Vocalem duplicem ex §. 2. & consistentem §. 6. n. 1. fin: priuant uno tempore Essentiali §. 6. n. 1. init. scilicet puncto & sic ex karmet ( ) fit pathach ( ) נָשָׁע.

2. Qui-

2. Quilibet *Accentus* occurrens in ultimata tri syllabae *Vocis Syllaba*, gaudentis in prima Syllaba Vocali dupliciti; quod attendenti apparet: Si enim pronuntiemus Vocem trifyllabam, animadvertemus, Vocalem primae Syllabae brevius exaudiri secundâ, & hanc ultimâ, festinat enim Sonus ad Tonum; hoc igitur modo duplex haec Vocalis in prima Syllaba privatur aliqua *mora*, quam Morae vel Temporis privationem Hebraei ostendunt, mutando vocalem duplicitem in Simplicem s. 2. n. 1. 2. e. g. *לְרָפִים*, inde Foeminum fit addendo ו cum praecedente ו quae ultima Syllaba Accentum sibi vindicat, sicque esset *לְרָפִים*: Verum Vocalis duplex ו in antepenultimo ab Accentu loco ex supra dictis amittit Tempus, hinc *לְרָפִים*, Pathach autem non sufficit ad Syllabam, utpote unotantum Tempore, scilicet Essentiali, §. 6. n. 1. gaudens, §. 5. lin. 32. Ergo substituitur Nota absentiae Vocalis §. 9. sublatâ ipsâ Vocali, hinc *לְרָפִים*.

§. 8.

§. 8.

In his modo recensitis Actionum Causa efficiens est , si vox primitiva vel Simplex transeat in statum Derivationis vel Compositionis; Compositio autem est, si vox Primitiva vel Radix capiat incrementum sive *in Initio*, sive *in Fine*; Posterioris Exemplum constitui- mus Vocem שָׁמֶן in sequentis Analyseos object. quod secundum praemonita , addita fundamentali Regula §. 5. in fin. memorata, scilicet, *quamlibet Syllabam ad minimum duo requiri Tempora*, Analytice considera- bus , periculumque faciemus , omnisne Mutationis Ratio in promtu fuet- rit. Quare B. L. rogatum volumus , ut accuratè ad praecedentes §§ atten- dat quo distinctius in sequentibus men- tem nostram percipiat.

§. 9.

Hicce ita praemissis propriis ad scopum nostrum accedimus , & quod in praecedentibus *generaliter* considera- vimus , id *specialiter* in Objeto nostro inquirēmus , quod est Vox שָׁמֶן :

Haec,

Haec incipitur à  $\psi$ , Litera, quemadmodum Hebraei nullam incipiunt Syllabam à sola Vocali §. 5. lin. 12. Mobilis §. 3. in fin. §. 7. certo oris organo dictata, sc. *Dentilis*, hinc *Dentalis* dicta.

Hanc insequitur 1 itidem Litera, sed vel Quiescens vel Mobilis; qualis hoc loco, apparebit in sequenti §. 10. in Vocalium Consideratione.

Hanc insequentem offendimus  
■ Literam Mobilem, *Labiis* sacram,  
undē *Labialis* dicta.

Post hanc invenimus  $\psi$  Literam Mobilem, *Dentibus* sacratam, ideoque à Grammaticis *Dentalis* appellata.

Quintum locum occupat figura  
1, Litera vel Mobilis, vel Quiescens.

Ultimum sibi vindicat locum ■  
Mem finale, Litera Mobilis §. 3. in fin.  
*Labiis* propria, & *Labialis* dicta.

Haec *Qualitatis* & *Quantitatis*  
signa omnis motus & pronuntiationis  
nescia motore suo opus habent, cuius  
defectu Corpora existunt mortua §. 3.  
Quare quaelibet Litera vel sub vel juxta  
se Vocali quadam stipatur, à qua  
Motus illi sperandus, sive Notam sub  
C se

se invenit, defectum Vocalis indicantem, à qua motum sibi promittere possit, quae est *Scheva*, quod est *Vinculum Consonantes diversas in unam Syllabam conjungens*; estque vel *Mobile*, vel *Quiescens*: *Prius* abducit literam cui subjacet quasi in Captivitatem e.g. תְּרֵא : *posterior* reducit suam Literam ad praecedentem e.g. תְּרֵב

## §. 10.

*Prima Litera* scil. ו superne ad Sinistram juxta se *Punctum* habet, Elementae Vocalis Notulam §. 2. & 6. n. 1. & quidem *unicum*, adeoque Vocalis *Simplicis* §. 2. n. 1. & quatenus *Punctum* Tres sibi vindicare potest *Sonos*, scilicet vel *i* vel *o*. vel *u*. Sed pro diverso loci situ peculiarem Sonum denotat: Si enim in *Medio* Literae *Quiescentis* reperiatur, np. י, denotat *u*; superne juxta Literam o. e.g. י; *Infra* Literam i. e.g. ז; Erit igitur hoc loco o.

*Secunda* est י, de qua praecedente §. ancipites haerebamus, utrum sit Litera *Mobilis*, an *Quiescens*, qua hesitatione nos jam liberabimus, & deter-

mi.

minamus, scilicet, esse *Quiescentem*;  
 quia nulla vocali, nec Notula absentiae  
 Vocalis stipatur §. 9. & quatenus Qui-  
 escens, Natura etiam *Quiescentis* gau-  
 det, cuius est, coälescere cum praece-  
 dente Vocali, quae hic est *Punctum*  
*Cholem*; Ideoqne simplex coeteroquin  
 Vocalis evadit *Composita* sc. ex Puncto  
 & Litera *Quiescente* §. 2. n. 3. Quae ob-  
 servatio postea §. 16, usum suum habe-  
 bit.

*Tertia* est ☐ sub se habens Notu-  
 lam absentiae Vocalis sc. *Scheva* &  
 quidem *Quiescens* §. 9. in fin. Indici-  
 um, quod Sonum suum à praeceden-  
 te Vocali expectet.

*Quarta* est ☐ sub se *unico pnncto*  
 gaudens, indicio Simplicis Vocalis §. 2.  
 n. 1. & ratione situs denotante i.

*Quinta* est ☐ Litera propter supra  
 commémoratas Rationes *Quiescens*,  
 eademque ratione coäscens cum praec-  
 edente Vocali sc. Puncto Chireck:  
 transit igitur & *Simplex* haec Vocalis  
 in *Compositam* §. 2. n. 3.

*Ultima* Litera est ☐ Mem finale,  
 quae *explicite* quidem nullo stipatur

C 2 pun-

puncto, vel Notula absentiae Vocalis, sed *implicitè* sub se habet Scheva, quod in ultima cuiuslibet Vocis Litera omit-titur, (excepto Chapl finali 7 & Sche-  
vate Quiescente, si aliud Scheva Qui-  
escens praecedat, e.g. **תְּרֵבָה**) quoni-  
am nullum imminet periculum, ut  
haec Litera ad aliam rapiatur Sylla-  
bam.

§. II.

*Accentum* in hac voce offendimus  
Tonicum Munach post & juxta voca-  
lem Chireck, Tonum vocis determi-  
nantem, & vocalem hanc elevantem,  
§. 4. §. 12.

*Syllabis Vox* **תְּרֵבָה** consistit du-  
abus & quidem *perfectis*, quod mani-  
festum fit ex cuiuslibet Syllabae Tem-  
porum examine;

- 1. *Prima enim est* **תְּ**, in qua  
Punctum Cholem indicat Tempus  
*Essentiale* §. 6. n. 1.
  - 2. *Litera 7 Tempus Literale* §. 6. N. 2.  
n. 1.
  - 3. *Consonans 5 largitur Tempus Clas-  
ritatis* §. 6. N. 2. n. 2.
- Secunda est* **וְ**, in qua  
1. Pun.

1. Punctum Chireck est Nota Temporis *Essentialis*, §. 6. n. 1.
2. Litera ' auget Vocalem Tempore *LITERALI* §. 6. N. 2. n. 1.
3. Mem Finale ( — ) Tempore *Claritatis* §. 6. N. 2. n. 2.
4. Denique Accentus Munach ( „ ) Vocale Moram addit *Altitudinis* §. 6. N. 2. n. 3.

Habemus igitur in Priori Syllaba *Tria*, in posteriori *Quatuor Tempora*: ast §. 5. ad perfectam constitutuendam Syllabam, ad minimum *duo* desiderabamus *Tempora*; quare jure merito concludimus; si *duo* Tempora sufficient, quanto magis *tria* vel *quatuor*.

## §. 13.

Nunc quorumlibet in Voce — occurring Naturae indagationi finem imponamus; Licet minimus, Nos in praecedentibus §. 7. mentionem fecisse non tantum de Temporum Augmentatione, sed & de eorundem privatione, qualem in utraque Objecti nostri Syllaba unam ejusdemque Speciei offendimus, de

C 3 qui-

quibus autem in subsequentibus age-  
mus §. 16,

§. 14.

Praelibatis hisce accingimus nos  
ad Indagationem, quare *Vocalis* in ob-  
jecto nostro occurrens mutetur. *Prin-  
cipalem* omnis Vocalium Mutationis  
Causam agnovimus in §. 8. Si Vox  
Primitiva transeat in statum Compo-  
sitionis, i.e. si Vox *vel* ab initio, *vel* in  
fine incrementum capiat; ast Causam  
Mutationis *Secundariam* diximus, si  
hocce Incremento praecedens Syllaba,  
duobus tantum gaudens temporibus,  
aliquo Tempore privetur, vel si hujus  
Temporis privatio incidens in praec-  
endentem Syllabam, tribus vel pluribus  
gaudentem Temporibus, Causa sit,  
cur residua Tempora itidem afferan-  
tur, donec *unicum* remaneat ad perfe-  
ctam Syllabam insufficiens: Quae ad  
privationum Leges §. 7. attendent  
manifesta sunt.

§. 15.

Secundum easdem igitur Ratio-  
nes, *Vocem nostram* examinare & re-  
solvere pro tempore nostrum erit. Vox  
ipsa

ipsa שְׁמַיָּה est in statu plurali, quod patet ex Terminatione וְ, à singul. שְׁמַיָּה: Est igitur in statu Compositonis, & quidem incrementum capit in fine, quae Causa Principalis omnis Mutationis: Terminatio enim וְ sibi vindicat Accentum ex praecedente Sylla-  
ba cui annexenda, hinc וְ שְׁמַיָּה.  
quae Syllaba וְ quatuor Tempora ha-  
bet, scil. duo Essentialia (.) §. 6. N. 1;  
Accentuale (') §. 6. N. 2. n. 3. Clari-  
tatis (v) §. 6. N. 2. n. 2. Hujus Tem-  
poris Accentualis facta Translocatione  
ad Terminationem וְ, in Syllaba וְ Triaremanent Tempora: hujusque  
*Accentus absentia* itidem Causa est, cur  
Vocalis hic occurrentis duplex (.) sube-  
at Mutationem, cum ejus praesentia  
impediret, quominus Litera ו in se  
Temporis privationem continens, si-  
mulac Vocali annexatur, in Vocaleм  
duplicem agere valeat §. 7 n. 1. Hinc  
secundum Hebraeos ex וְ שְׁמַיָּה fit  
vel וְ וְ שְׁמַיָּה, qui hancce Tempo-  
ris privationem denotant, mutan-  
do Vocaleм duplicem in Simplicem,  
ea-

eaque Mutatio hocce instituitur modo , quod Vocalis *duplex* duo Essentialia Tempora habens , quorum Notulae sunt duo Puncta , alterutro Tempore , sive alterutrius Notula privetur §. 7. n. 2. Sicque Vocalis duplex (...) evadit Simplex vel Chireck , vel Saegol vel Pathach , quae sunt Vocales Simplices §. 2. n. 1. Remanentque in Sylla-  
ba וְ adhuc duo Tempora , alterum *Essentialie* , alterum *Claritatis* ; Verum ut Terminatio וְ connectatur cum praecedente Syllaba , ipsaque Terminatio Syllaba evadat , ad quam legitime constituendam non tantum suffici-  
entia requiriuntur Tempora , sed & *Litera* inchoetur necesse est §. 5. sibi vin-  
dicat ex praecedente Syllaba *Literam*

וְ , hinc וְ וְ , sicque privatur וְ

Tempore Claritatis , quod in וְ late-  
bat ; atque ita remanet *unicum* Tem-  
pus ad perfectam Syllabam haud suf-  
ficiens , quod est *Essentialie* Tempus §.  
6. N. 1. & abit in Notulam Absentiae  
Vocalis scil. Scheva & quidem Qui-  
escens ,

escens, signum à praecedente Vocali sonum sibi esse expectandum §. 9. in fin. sicque evadit ex §. 16.

Hocce addito Syllabae scil. augetur haec Syllaba Tempore Claritatis §. 6. N. 2. n. 2. §. 12. n. 3. Sed & simul Terminum ponere praecedenti Vocali videtur, quem defectum diximus Temporis privationem, Causam mutandæ praecedentis Vocalis §. 7. n. 1. Et observavimus in plerisque Grammaticis generalem Regulam, Vocalem longam ante consonantem connectendam mutari in brevem; ab iisdem que hancce Vocalem Cholem, sic scriptam, inter longas numerari; Secundum quam Regulam igitur haec Vocalis Cholem (1) mutanda fuisset: quod autem Effectus aliter docet, quippe hisce Circumstantiis occurrentis Vocalis Cholem, plerumque Mutationem haud subiit. Quare illius Regulae Autores existimamus teneri, vel affirmare, hancce Regulam in hacce Vocali Cholem

tem exceptionem pati, vel concedere, hancc Vocalem *Cholem*, sic scriptam, minus accurate *longam* dici: *Prius* concedunt, itaque Regulam sine Causa exceptione onerant, nullius Exceptionis hujus Causae facta MENTIONE; *Posterior* Nos affirmamus: nam nullo respectu Vocalis haec *Cholem longa* dici potest; quippe ejus Longitudo vel appareret ex *pronuntiatione*, vel *Scriptione*; ast in *Pronuntiatione* non longior observatur ipso Pathach vel Chireck, quod ab iis breve dicitur: nec in *Scriptione* punctum τ& Cholem cum Litera Quiescente conjunctum magis Vocalis evadit, quam reliquae Vocales ipsis breves dictae; nisi forsan, quod Cholem i duobus gaudeat TEMPORIBUS §. 6. N. 1. & 2. n. 1. §. 12. n. 1. Verum eo respectu aequa bene omnes Vocales ipsorum breves dictae conjunctae cum litera Mobili, itidem duo TEMPORA habentes, Vocales *Longae* dici possent, quod tamen & eorum contradictionit Hypothesi. Nos vero facta hujus Regulae Correctione cum Cl. ALB. de RAADTEAM talem agnoscimus: *Omnis*

*Omnis Vocalis DUPLEX §. 2. N. 2. occurrēns ante literam' mobilem cum ea conjungenda mutatur in SIMPLICEM.*  
*§ 2, N. 1. Simulque Rationes subjungimus, cur Vocalis Composita in Syl-laba אַיִל isdem Circumstantiis occur-rens Mutationis periculum haud su-beat: Ponamus enim causam Tem-poris Privationis in litera אַ latentem in vocalem praecedentem וְ Cholem agere posse; Tunc aget in eam vel ut Literam, vel ut Punctum i.e. Vocalē: Quatenus Litera, non est capax objectum Mutationis, nam וְ Conso-nans non terminum ponit corpori mortuo §. 4. Sed sono i.e. Vocali; Er-go aget in Cholem, quatenus Punc-tum i.e. Vocalem. Ponamus igitur por-rò, Literam אַ potestatem suam exer-cere in illud punctum & mutet i.e. ali-quo tempore Essentiali privet, tunc ex אַ evadet אַ; Quare וְ nec post se, nec sub se, nec ante se Vocalem ha-bens accipiet ad minimum sub se Sche-va, Notulam Absentiae Vocalis §. 9. erit igitur אַ: Literae vero sine Vocali sunt Corpora mortua §. 3. lin. 15. nec*

Syllabam. constituere possunt §. 5. lin.  
 21. Praeterea omnis Syllaba ab Hebraeis  
 ad summum duabus incipitur Conso-  
 nantibus §. 5. lin. 18. quod Fundamen-  
 tum illius Regulae, duobus concur-  
 rentibus Schevatibus, prius muta-  
 tur in vocalem Simplicem: quâ ob-  
 servatâ Regulâ, tres illae literae בְּשׁ  
 sonum accipient, constituentque Sylla-  
 bam, haecque erit *sive* בְּשׁ vel בְּשׁ vel  
 בְּשׁ *sive* בְּשׁ vel בְּשׁ vel בְּשׁ. Nunc  
 quæsto, ad hasce Mutationes B. L. at-  
 tendat: Causæ Efficientis Temporis  
 privationis in latentis Effectus de-  
 bebat esse, Vocalem praecedentem Com-  
 positam i Cholem privare suo Tempo-  
 re Essentiali; quo facto propter supra  
 modo memoratas Rationes Tempus  
 Essentialieredit, quod in sex supra  
 memoratis Syllabis observare  
 est; sicque Effectus annullatur, idem  
 enim per idem corrigeretur. Praete-  
 rea nec Causa Temporis privationis  
 in praecedens Cholem, quatenus Vo-  
 calem, agere potest, quippe quæ con-  
 tra hujus aggressum litera Quiescente  
 munitur.

§. 17.

Hicce § praeced. consideratis non  
penitus negamus, hancce Vocalem  
*Compositam Cholem*, talvis punctorum  
Literarumque Legibus, posse transire  
in Simplicem, itidem Cholem, quatenus  
Punctum tantum est; quippe alia  
adhuc mutandi Ratio memoratu di-  
gna & Hebraeis usitatissima restat,  
qui hancce Vocalem Compositam  
Cholem, hicce circumstantiis, sc. cum  
Consonante insequente conjungenda,  
occurrentem, solent mutare in Voca-  
lem simplicem Grammaticis *Kametz-*  
*katuph* dictam e.g. אַכְלָה ex לְאַכְלָה.  
Verum enim vero posset hac occasione  
Qu. institui; Quomodo Vocalis, du-  
plicis Speciem prae se ferens, Simpli-  
cis munere fungi possit? Ad hanc Qu.  
respondemus sequentem in modum:  
Certum quidem est, hocce Gramma-  
ticis *Kametz-katuph* dictum quoad fi-  
guram externam & Scriptionem esse  
Vocalem duplicem, sed significare reve-  
ra Simplicem: Ad Cholem denotan-  
dum, quatenus Vocalem, sufficit u-  
num Punctum §. 10. lin. 11. & eatenus  
con-

convenit cum puncto Chireck; sed loci respectu differunt, quorum alterum ponitur superne juxta Literam, alterum infra Literam s. 10, ne igitur punctum hoc sub Litera existimetur Chireck, additur Pathach, hoc loco signum differentiae, scil. quod altera pars τε Kametz, & non τε Chireck sit: (hoc eodem jure affirmare possum, quo Cl. *Alb. de Raadt* afferit Pathach in Cateph-Pathach Signum, qua oris figura Consonans, sub qua offendatur, pronuntiari debeat, negatque illi Quantitatem) quippe absurdum sane esset existimare, Punctorum Auctorem vel Auctores ad mutandam Vocalem Compositam in Simplicem usos fuisse Vocaliduplici, siue vice versa adhibuisse Vocalem dupl. cem, quaepostea in Compositam transit, ad denotandum magis Vocalem, cum tamen Vocalis duplex magis sit Vocalis Composita.

s. 18,

Praeterea posset & Nobis objici ex Cl. *ALTINGII* Fund. L. H. §. 37. n. 2. Duo illa puncta sub ą occurrentia, non

D 3 esse

esse Scheva *Quiescens*, sed *Mobile*; Verum probè notandum, Nos haud admittere Distinctionem hanc in *Vocales breves & longas*, sed eas, quas Cl. *Altinius* Longas appellat, distinguere in *Duplices & Compositas*; Nosque assentiri huic Regulae quoad Duplices, sed non quoad Compositas: Cessante igitur *Causa*, cessat & *Effetus*.

## §. 19.

Hocce observato Ordine, Rationes alterius Rationis mutandae Vocalis Origines sunt, omnesque respettu ejusdem finis Causae Efficientes sunt Sociae; & sec: Literarum punctorumque Naturam Analysis fluit accurata: Hocce, inquam, Ordine; nam non video, cur (...) Tzere in objecto transeat in Scheva & non aequa bene **שׁ. שׁ** dicatur, quam **שׁ. שׁ** illaeſis iisdem Literarum punctorumque Legibus; niſi quod hoc dependeat a solo Analysis instituendi ordine: nam s. 15. lin. 18. mutandæ Vocalis Duplicis (...) in Simplicem sc. Chireck, Sægol vel Pathach Causam remotam diximus

mus Accentus absentiam, & proximam Literam Mobilem  $\text{v}$ ; ast ejusdem Accentus praesentiam agnovimus Causam, quominus Causa Temporis privationis in  $\text{v}$  latens in praecedentem Vocalem duplēcē agere possit. Quare si Causa mutandae Vocalis Duplicis in simplicem proxima, sc.  $\text{v}$ , prius rapiatur ad Terminationem  $\text{v}$ , ipso Accentu, & postea Accentus, nulla remanet Ratio, quae duplicitis Vocalis Mutationem urgeat, cum ipsa ad perfectam Syllabam, positis Circumstantiis, sufficiens sit. Quae ut planius apparet repertamus supra §. 15. conūmemoratam Analysis mutatis mutandis.

## §. 20.

Tū  $\text{vāv}$  Particip. Benon. Sing. accedat Terminatio Nota Pluralis Numeri  $\text{v}$ , hinc  $\text{vāv}$   $\text{vāv}$ , quae Terminatio, ut coalefacat cum Voce conjungenda, Syllabamque efficiat, tribuit sibi  $\text{v}$ , hinc  $\text{vāv}$   $\text{vāv}$ : Denique Terminatio haec sibi vindicat Accentum, hinc  $\text{vāv}$ . Quae Analyſis, quemadmodum succintior, sic & nobis vide-

detur *Convenientior*, quando post Literae Mobilis & ablationem Accentus demum transferatur ad Terminacionem; quippe Accentus tamdiu Vocali est conservandus, donec alia Ratio ejus exigat ablationem: ast Terminatio sibi eum vindicat, *vel* ut Syllaba, *vel* ut Terminatio hujus Vocis; ut Syllaba eum sibi tribuere nequit, nam nondum est Syllaba, nisi à Litera secundum Hebr. Consuetudinem incipiatur §. 5. Ergo Litera & prius auferenda: Nec ut Terminatio illius Vocis Accentum sibi tribuere potest, *disjunctim* enim considerata à Voce ~~טְבִיעָה~~ non est Terminatio illius Vocis, sed *conjunctim*, & sic Litera & ejus Syllabae erit Pars *Essentialis*.

## §. 21

Verum descripta in §. 20. *Analy sis* denuo Nobis Generalem Regulam in Grammaticis observatam corrigendi largitur Occasionem; Nam Vox ~~טְבִיעָה~~ Bisyllaba in plur. evadit Trisyllaba sc. ~~טְבִיעָה~~ & habet Accentum in *ultima*: Generalis autem Regula

E est,

-off

est, Vocalis longa, occurrens in Antepenultimo loco ab Accentu, mutetur in brevem; Quae Circumstantiae in Voce שׁוֹבֵת occurunt, sed nec ulla observatur Mutatio. Resolutio hujus in promptu esset, nisi Cramben biscoctam recoquendo in Lectore & Nobis fastidium excitaremus, B. L. ad §. 16. remittimus; iisdem enim ferè Ratioribus uteremur, quarum in eod. §. mentionem fecimus: Res eadem est, nisi quod differat in Causa Efficiente. §. 16. Causa efficiens erat *privatio Temporis* in *Litera Mobili latens* §. 7. n. 1. Hoc vero loco est Accentus occurrens in ultima Voci Trisyllabae Syllaba §. 7. n. 2. Erit igitur Nobis haec Generalis Regula Talis: *Vocalis quaelibet DUPLEX* occurrens in antepenultimo loco ab Accentu ( salvis Circumstantiis) mutetur in *SIMPLICEM.*

## §. 22.

Sic pro Scopo nostro, quantum brevitati studenti licuit, satisfactum judicamus, Nobisque persuademus, ad oculum *HOCCE EXEMPLO*  
no-

nostro demonstratum esse , quantum utilitatis Literarum Punctorumque Naturae Indagatio & in Analysi observatus ordo conferat, ad cuiuslibet Vocalis mutationis reddendas Rationes ; adeo , ut quamlibet Vocem Compositam ita examinanti nihil reliquum sit, quam ut attendat, quibus Circumstantiis , quaque Occasione inter Vocales Simplices, quantitate easdem, hanc potius, quam aliam Hebraei usurpent ( quemadmodum observatum est, eos sub gutturalibus plerumque τὸ Pathach amare ) quibus Vocalibus affixa , & Praefixa, Afformantes & Praeformantes Voci primitivae soleant jungi , & quales sint Vocales primae & secundae Radicalis pro diversis Verborum Modis & Temporibus.


## ſ. 23.

Felices sane Nos existimabimus, si quid utilitatis ex hocce Conatu nostro in B. L. redundaverit, nec hancce gloriam quidem dexteritati nostrae , sed Cl. Alb. de Raadt Eruditioni tribuemus; sufficit enim pro Tempore cum fa-

G2

pi

pientibus sapere, quam vacillante ingenio nova moliri: Attamen Vires novae addentur, quo majori Voluptate, Diligentia, Affiduitate & festinatione prolixioris laboris proposuimus ad finem perducamus.




Be. 3261.

8°



VDMX

Alt



B.I.G.

Black

19  
m



# בָּשָׂר ANALYSIS Vocis שׁוֹפְטִים

Secundum  
Consonarum Punctorum-  
que Naturam.

Praemissio  
Omnis Punctorum Mutationis  
Fundamento

Ad  
Illustrandum Tractatum  
*VIRI*

Maxime Venerandi  
DN. Alhardi de Raadt,  
SS. Th. & Philol. Doctoris,  
Cui Titulus

סגנית הנקוות

Demonstrata

à

Friederich Siegfried Ring/ Francf.  
March. SS. Th. & Phil. Cult.

BEROLINI, E Typographia Regia, 1715.

Viro  
Max: Venerando  
Dr: Strinesio  
S. S. Th. Doc: et Pro:  
Fecit. Ord: